ANIMADVERSIONES SEU MONITA AD CONFESSIARIOS

18

ANIMADVERSIONES SEU MONITA
AD
CONFESSARIOS

DE SACRAMENTALI SIGILLO

Quum Sigillum Sacramentale sub exacto, perpetuoque silentio sit tenendum ex lege naturali, Divina et Ecclesiastica, idcirco caveat Sacerdos omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem nec *directe* scilicet revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum, nec *indirecte* aliquid dicendo, aut faciendo, ex quo quis cognoscere, vel suspicari possit peccatum vel defectum poenitentis, aut quaevis per solam confessionem cognita, ex quibus Poenitenti pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen sequi posset, etsi audiens id iam sciat aliunde; quia haec omnia reddunt confessionem odiosam. Quod si prudentiori consilio indiguerit, illud absque expressione personae caute requiratur, alioquin gravissimi sacrilegii reum se redderet non solum, verum etiam infestatiae peccatum committeret ob pactum virtuale de tacendo, quod inter *Confessarium* et *Poenitentem* intercedit.

1. Meminerit interim Confessarius, sub hoc Sigillo contineri ea omnia, quae per confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tum mortalia, tum venialia, tum interna et occulta, quam externa et publica, eorumque circumstantiae; item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas, et ignorantia Poenitentis, defectus natalium, peccatum complicis, materia et obiectum peccati; item quaecumque a Poenitente prolata ad pleniorem peccatorum, conscientiae, ac dispositionis suae manifestationem pertinent, vel utilia sunt, etiamsi alios spectent; et alia quaelibet, quae Poenitens non vult, ut detegantur; imo etiam ea, quae in colloquiis privatis cum Poenitente occasione confessionis factae, vel faciendae ad cognitionem Confessarii devenjant, sub sigillo comprehenduntur. Ratio est, quia revelatio

quorumvis istorum redderet confessionem odiosam, cum nata sit poenitenti molestiam, infamiam vel dedecus inferre.

Ex hisce omnibus unicuique compertum est, oriri obligationem sigilli ex omni, et sola Confessione Sacramentali, idest facta animo se accusandi in Poenitentiae foro, quamvis ex aliquo defectu sive poenitentis, sive Confessarii non sequatur absolutio Item oritur obligatio ex comparatione coram superiore pro reservatis sive ante, sive post confessionem, quia si fiat ante, est quaedam inchoatio confessionis, si fiat post, est illius consummatio Non tamen contrahitur obligatio sigilli ex confessione facta Sacerdoti animo tantum irridendi, aut tentandi ipsum, quia talis Confessio non est Sacramentalis Neque ex eo quod aliquis committens alteri aliquod secretum dicat, se illud ei committere sub sigillo confessionis, quia obligatio sigilli annexa est soli confessioni institutae a Christo; et in hoc casu habetur tantum obligatio secreti naturalis. Item oritur obligatio servandi sigilli, si poenitens ante confessionem revelat Confessario sua peccata pro consilio habendo, quando consilium petitur in ordine ad futuram confessionem et Confessarius, ut censent DD. non potest in tali casu audita revelare superiori, etiamsi sub poena excommunicationis adstringeretur (Diana par. 5 tract II resol. 44). Item violatur sigillum, si Confessarius designet locum, et parvam communitatem, dicendo v. g. in tali loco audivi in confessione multa adulteria, aut in tali monasterio aliquam esse formentum Caeterum hoc certum est, et indubitatum, non facile loquendum esse de auditis in confessione etiam abstrahendo a persona, praesertim coram rudioribus, ne scandalizentur putantes violari sigillum, et generaliter coram omnibus, ne post inadvertentiam aliquid addatur, et occurrant circumstantiae, ex quibus devolvatur in suspicionem personae Item violat sigillum qui unum prae aliis, quorum audivit confessiones, laudat, dicens eum sola venialia admisisse, nam inde alii, qui pariter ipsi confessi sunt, facile in suspicionem adducuntur admisisse culpae mortalis Item sigillum violat qui auditis paucorum confessionibus dicit se tale peccatum audivisse, tum enim singuli ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Item violant sigillum duo Confessarii, qui inter se colloquuntur de peccatis poenitentis, si uterque peccata ex sola confessione novit Item violat sigillum Confessarius, si ex confessionibus cognoscat furem domus suae, et ut talem accuset, nisi indicia sufficientia extra confes-

sionas habeantur a Confessario, et neque dimittere e domo potest famulum, quem furem cognovit ex confessione, sed expectare debet, ut extra confessionem eum furti reum deprehendat, si tunc expellere.

Sine violatione sigilli potest quis diligentius custodire res suas, clavem abstrahere etc. ob servum suum, quem ex confessione scit infidelem nec modo poenitens apud alios non veniat in suspicionem infidelitatis, quia haec omnia saltem rationabiliter confessionem odiosam reddere nequeunt.

2. Si occurrat excipere confessionem poenitentis criminosam, nequit Confessarius uti scientia huiusmodi pro bono communi externo, et ratio est quia ex decreto Clementis VIII ann. 1594. 26 maii statutum fuit, ut nullatenus quis pro bono communi externo utatur scientia acquisita ex confessione, ut eius facilitati, integritati et puritati consulatur, et ideo frangeretur sigillum, nisi eadem scientia aliunde extra confessionem haberetur. Hinc frangit sigillum confessionis Parochus, qui ex sola confessione novit impedimentum dirimens esse inter eos, qui matrimonio iungi postulant, matrimonium denegat. Item sigillum confessionis violat Parochus denegans testimonium bonae vitae, et probitatis, cuius vita externa est recte instituta, sed quem ex confessione scit esse improbum: sicuti etiam violaret sigillum Parochus, si moneret parentes, ut diligenter invigilent filiae, cuius libidinem ex sola confessione novit. Item violaret sigillum superior utens notitia per confessionem comparata, ut poenitentem sibi subditum externe puniat, male habeat, torvis oculis aspiciat ab aliquo officio arceat, aut suum sibi suffragium pro aliquo munere deneget (aliqui limitationem apponunt, si nempe suffragium publice ferendum sit, secus si occulte) uno verbo non possunt superiores uti notitia illa ad exteriorem gubernationem, ut expresse prohibuit Clemens VIII. loco superius citato.

3. Confessarius interrogatus, an poenitentem absolverit, respondere debet, se *officio suo esse functum*, non autem *se absolvisse*; alioquin id affirmando de uno, et non de altero, indicaret huic denegatam absolutionem ob ipsa facinora, et sic indirecte revelaret poenitentis indispositionem. Unde cum danda sunt testimonia confessionis auditae, debet Confessarius solum testari, se audivisse confessionem.

Si Confessarius interrogetur a Iudice, an tale peccatum audiverit a Patre in confessione, quod utique audivit, et ut id revelet sub iuramento;

in hoc casu doctores docent, quod Confessarius possit iurare, se non audivisse, et nescire, intelligendo intra se tamquam purum hominem, quia in confessione loquitur ut Deus et extra confessionem loquitur ut homo, unde quod scitur in confessione idem est ac nescitum

« Duo autem sunt (inquit s. Thomas in 4. sent. dist. 2 q. 3 ar. 2. in corp.) propter quae Sacerdos tenetur peccatum occultare Primo, et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem: alio modo propter scandalum vitandum: potest autem poenitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum et ideo si dicit, non frangit sigillum confessionis: tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli praedicti reputetur » Ex cuius testimonio eruitur quoque, posse Confessarium cum licentia poenitentis ea declarare, quae in confessione percepit, sed caute ob rationes allatas.

Ultima difficultas est, an violaret Confessarius secretum confessionis, qui adduceret eam, quae ad venerem incitata fuit in confessione, ad detegendum Episcopo abominabilem illum Confessorem, vel saltem permittendum, ut Episcopo detegatur a Confessario, si poenitens vel non posset vel prae pudore non vellet. Huic difficultati respondetur, certum esse, quod non violaret secretum, quoniam Confessarius potest cum licentia poenitentis ea declarare, quae in confessione dicta sunt; et in praesenti casu, ex quaestione Confessarius omnino stricteque tenetur eam monere quae in confessione solicitata fuit, eam teneri Episcopo denuntiare Confessarium, a quo fuit solicitata Quod verbis expressis declaratum est in Bulla trigesima quarta Gregorii XV et Bened. XIV., quae in fine huius libri descripta reperitur; et ad eliminandam quamcumque ignorantiam Confessariorum in re tanti momenti, sub oculos uniuscuiusque ponere operae pretium duximus non nulla hac de re scitu necessaria. Sit igitur

DE SOLICITATIONE

Solicitatio quantum ad propositum non est nisi provocatio, seu incitatio facta ad turpia, et inhonesta, idest ad res carnales, seu venereas Fieri autem potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, nutibus, tactibus, osculis et huiusmodi, et in pluribus ac diversis locis Ast

quoniam nonnulli Sacerdotes sunt, ac reperiuntur, etiam curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati, qui in tantam prorumpunt iniquitatem, ut sacramento poenitentiae in actu audiendi confessionem abutuntur, nec illi, qui hoc instituit, Domino Deo, et Salvatori Nostro Iesu Christo, iniuriam facere verentur, mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, provocando, seu allicere, et provocare tentando et procurando, graviori peccatorum mole eos onerando cum animarum pernicie, Divinae Maiestatis offensa, et Christi fidelium scandalo, idcirco ad tam exitiosa huiusmodi mala eliminanda variae fuerunt editae Pontificiae Constitutiones, at signanter a Pio IV. quae incipit *Cum sicut*, a Gregorio XV incip. *Universi Dominici Gregis*, a Bened. XIV incip. *Sacramentum poenitentiae* Quae Gregorii et Benedicti constitutiones quum sint norma, at regula in hac materia habenda, hic ad litteram dantur

CONSTITUTIO

GREGORII PAPÆ XV.

CONTRA SOLLICITANTES IN CONFESSIONIBUS

GREGORIUS PAPA XV.

ad perpetuam rei memoriam

Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, caelesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis; multoque maiori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit, in quo salietur, at ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus Quoniam autem a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto poenitentiae Sacramento, sollicitando poenitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum,

pro pane aspidem porrigat, et ex caelesti medico, infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur, ideirco Nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur providendum duximus. Alias siquidem a fel. record. Pio Papa IV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: — Pius Papa IV Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi in regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori Generali. Cum, sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversi Sacerdotes in regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus et dioecesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramenti Poenitentiae in actu audiendi confessionum abutantes, nec illi qui id instituit Domino Deo, et Salvatori nostro Iesu Christo, iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos dum earum audiunt confessiones, alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando et procurando, ac, loco earum per sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, et in manibus diaboli tradendo, in divinae maiestatis offensam et animarum perniciem, Christifque fidelium scandalum non modicum, Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica recte sentiant sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, vel illis iniuriam faciant, fraternitati tuae, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios, a te deputandum, seu deputandos, contra omnes, et singulos Sacerdotes dictorum regnorum, ac illarum civitatum et dioecesium de praemissis quomodolibet diffamatos, tam saeculares, quam quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum ordinum regularium, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, et praeminentiae existant, tam super praemissis, quam super fide catholica, et quod de ea sentiant diligenter inquiras, et iuxta facultatem tibi contra haereticos, aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessam, contionantiam, et tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, poenis, eos etiam, si, et prout de iure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione, saecularis iudicis ar-

brachio puniendos tradendo, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, et monasteriorum, nec non ordinum quorumlibet quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 16 aprilis MDLXI pontificatus nostri anno secundo —Igitur ut litterae praedictae perpetuis futuris temporibus ubique locorum inviolabiliter observentur motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, praeinsertas litteras huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus ac confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, illasque non solum in praedictis regnis Hispaniarum, sed in quibusvis christiani orbis partibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus. Ac praeterea, ne in futurum de poena his delinquentibus imponenda et de modo contra eosdem procedendi aliquid dubitari possit, statuimus, decernimus et declaramus quod omnes, et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis, et quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti exsistant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, in officio sanctae inquisitionis severissime ut infra puniantur, et praeterea omnes haere-

ticae pravitatis inquisitores, et locorum ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani in suis quemque dioecesibus, et territoriis, per has nostras litteras, etiam privative quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuo iudices delegamus ut super his contra praedictos simul, vel separatim, in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum canonum formam, nec non officii inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, et decreta diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro excessuum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, et officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae et passivae si regulares fuerint ex illis, damnationis ad triremes, et carceris etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae, aliasque poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, curiae saeculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus inquisitoribus ne delictum tam enorme et Ecclesiae Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probatio, testibus etiam singularibus concurrentibus, praesumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, et curiae saeculari, ut praefertur, reum tradendum esse pronunciandi. Non obstantibus omnibus quae dictus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque, mandantes omnibus confessariis ut suos poenitentes quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes, inquisitoribus, seu locorum ordinariis praedictis, quod si officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes, seu tractantes ut supra, iidem locorum ordinarii et inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra ubique habeatur quae praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae quodque easdem praesentes litteras seu illarum exempla ad valvas basilicarum s. Ioannis lateranensis ac principis Apostolorum de urbe et in acie

Campi Florae affixae, omnes ita arcient et afficiant ac si cuique personaliter intimatae fuissent. Datum Romae apud Sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris, die 30 augusti 1622, pontificatus nostri an secundo

S CARD S SUSANNÆ.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione quinta, die primo mensis septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris D N Gregorii divina providentia Papae XV anno eius secundo retroscripta constitutio affixa, et publicata fuit ad valvas basilicarum s Ioannis lateranensis, principis Apostolorum De urbe et in acie Campi Florae, ut moris est, per me Brondunantem latinum apostolicum cursorem

OCTAVIUS SPADA mag curs

LETTERA

DELLA SACRA CONGREGAZIONE DEL SANTO UFFIZIO SOPRA LA BOLLA DI GREGORIO XV CONTRA I SOLLECITANTI

Rev P Dopo essersi avuta lunga e matura considerazione sopra il dubbio significato da diverse bande, se i penitenti sono obbligati a denunziare i confessori dai quali sono stati sollecitati nel luogo ed atto della confessione quando hanno acconsentito alla sollicitazione, Nostro Signore e questi miei signori eminentissimi, in congregazione tenuta avanti Sua Santità 23 luglio passato, dopo d'aver anche inteso il parere d'una particolar congregazione deputata a quest'effetto, hanno risoluto che qualsivoglia penitente è tenuto a denunziare il confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo ed atto della confessione, ancorchè gli abbia acconsentito; e non è tenuto a propalare il proprio consenso, nè sopra ciò s'interroghi dal Vescovo o dall'inquisitore o dai loro vicarj, avanti ai quali deporrà nemmeno il confessore denunziato, procedendosi poi contro lui, ne' constituti che gli si faranno, s'interroghi sopra il detto consenso; ed in caso che egli volesse dirlo da sè non si

scriva il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante al santo uffizio della santa inquisizione. Le parti dunque di V. R. sono di significar a' confessori detta risoluzione e d'incaricargliene strettamente l'osservanza, acciò ne' casi che occorrono alla giornata, conforme al tenore della costituzione pubblicata da Gregorio XV di son. mem. contro i confessori sollecitanti, significhino a' penitenti l'obbligo che hanno di denunziare i confessori da' quali saranno stati sollecitati; ed avendoli consentito e facendo difficoltà di scoprire il proprio consenso, conforme alla risoluzione che si è fatta, gli dicano apertamente che non sono tenuti a propalare il detto consenso e che tanto i penitenti quanto i confessori sollecitanti, procedendosi contro di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da sè, non si scriverà nè riceverà il detto loro. E quando il penitente persistesse tuttavia nella medesima renitenza, Nostro Signore si contenta che dal Vescovo o dall'inquisitore si dia autorità al confessore di ricevere per iscrittura e con giuramento la denunzia, per portarla a chi gli avrà data autorità di pigliarla, e se oltre le cose suddette occorrerà altro caso grave per il quale il penitente non si possa indurre, Sua Santità vuole che se ne scriva quà, e si aspetti la risposta ed in tanto non si proceda all'assoluzione. E tanto V. R. si contenterà di far osservare nella sua giurisdizione, facendo registrare la presente negli atti di cotesto s. uffizio per informazione sua e de' suoi successori, quali avranno mira che la presente risoluzione riguarda solo a quei penitenti che per aver acconsentito fanno difficoltà in denunziare; ma a quei che non hanno consentito o, avendo consentito, non sono su ciò renitenti, il confessore non deve porre difficoltà alcuna, ma lasciare che indifferentemente e liberamente soddisfacciano all'obbligo che hanno di denunziare, conforme alla costituzione. Ed il Signor Iddio la conservi.

Di Roma li 27 settembre 1624.

Di V. R.

Come fratello
Il Card. Mellino

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

CIRCA CONFESSARIOS SOLLICITANTES POENITENTES AD TURPIA
ITEM EX FACULTATE ADEMPTA SACERDOTIBUS ADMINISTRANDI SACRAMENTUM POENITENTIAE
COMPLICIBUS IN PECCATO CONTRA CASTITATEM

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum Poenitentiae, secundam, post naufragium deperditae gratiae, tabulam sancti patres apte nuncuparunt. Nos, licet immerentes ad universi dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem, et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem atque interitum vertatur.

§ 1 Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. praedecessore nostro per suas litteras in forma brevium sub datum Romae apud s. Mariam maiorem die 30 augusti 1622, pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis confessionibus deputatos ad turpia, et inhonesta sollicitantes. Et deinceps successivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem ac declarationem, plura subinde a congreg. venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, sub die 11 mensis februarii anni Domini 1661, prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexand. PP. VII, pariter praedecessore nostro, in congreg. generali sanctae Romanae universalis inquisitionis, die 26 septemb. 1665 coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandae, damnatae et prohibitae fue-

runt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem sanctae ecclesiae Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes, Poenitentiae Sacramento nefarie abutantes poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes se a Christo Domino praesides, et iudices animarum constitutos ea sanctitate quae sublimitati et dignitati muneris convenit tam venerandum Sacramentum administrent; motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra praefatas litteras huiusmodi ac omnia et singula decreta praedicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata, apostolica auctoritate tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus et mandamus omnibus haereticae pravitatis inquisitoribus, et locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani, in suis respective dioecesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito inquirant et procedant contra omnes, et singulos sacerdotes tam saeculares quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque ordinum institutorum societatum, congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem poenitentem quaecumque persona illa sit vel in actu sacramentalis confessionis vel ante, vel immediate post confessionem vel occasione, aut praetextu confessionis vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis sive signis vel nutibus sive tactu sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint, et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiliter repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas, iuxta memoratam Gregorii praedecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et ecclesiae Dei iniuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, iam aliis

in praefata constitutione tributam, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant.

§ 2 Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se ac obligari suos poenitentes quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos sedulo monere, iuxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi inquisitoribus sive locorum ordinariis praedictis personam quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii ne poenitentibus quos noverint iam ab alio sollicitatos sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici vel saltem se cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

§ 3 Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur qui, vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti vel aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.

§ 4 Demum, magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem et sacramentorum contemptum et Ecclesiae iniuriam longe submovere et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus eliminare et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam daemonis potius quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi,

maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum e pluribus episcopis per synodales suas constitutiones iam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione et specialissima nota et mentione digno, suffultis, auctoritate apostolica et nostra potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus, et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem nobis solis nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§ 5. Declarantes etiam et decernentes quod, nec etiam in vim cuiuscumque iubilaei aut etiam bullae quae appellatur cruciatae sanctae aut alterius cuiuslibet indulti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere eique sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hoc effectum et in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione, ut praefertur, careat et absolvendi facultate a nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quae nuncupantur cruciatae sanctae vel iubilaei universalis et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum et monasteriorum et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis,

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6 Volumus demum ac praecipimus ut omnes locorum ordinarii, tam praesentes quam futuri, pro tempore existentes, in approbatione confessariorum, tam praedictam constitutionem Gregorii praedecessoris quam praesentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et accurate observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, memores praeterea sint se locum tenere ac vices obire summi atque aeterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant diligenterque caveant ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpa caelum claudatur, ne deprehensae oves ad ovile dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur, ne prodigi filii egentes et nudi ad caelestem patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae lateranensis et basilicae principis Apostolorum, necnon cancellariae apostolicae curiaeque generalis in monte Citatorio ac in acie campi Florae de urbe, ut moris est, affigi et publicari, atque publicatas et affixas, omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent, utque ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam maiorem, anno incarnationis dominicae 1741, pontificatus nostri anno I.

✠ *Sub-Datarius*
Pro d. card. Passioneo
Caietanus Amatus

Visa de curia
Loco ✠ plumbi

N. Antonellus
I. B. Eugenius

EXPLICATIO VERBORUM CONSTITUTIONUM
SUMMORUM PONTIFICUM

Antequam obligentur poenitentes ad denuntiandos Confessarios diligentissime sunt attendendae qualitates, et conditiones tam poenitentium, tum confessariorum, et mature examinanda natura, sensus verborum, et significatio signorum praetensae sollicitationis, et si ex ipsis appareat certa solicitatio, tunc facienda est Episcopo, qui delictum probare potest per testes singulares, concurrentibus tamen praesumptionibus, indiciis, aliisque adminiculis. Sed quinam sint denuntiandi ex constitutionibus praedictis Pontificum, hoc est, quod hic quaeritur, et ideo

1. Dico imprimis, per personas solicitantes intelligi hic omnes, et singuli sacerdotes tam saeculares quam regulares cuiuscumque dignitatis, aut praeeminentiae existant, ita Constitutio Gregoriana per expressa verba §. 1.

Dico 2. dici solicitantem, et esse denuntiandum Sacerdotem non Confessarium, qui se fingens Confessarium provocat et incitat ad turpia, seu carnalia foeminas, seu adolescentulos. De ipso enim Sacerdote verificatur, quod solicitet praetextu confessionis, quod sufficit de mente

dictae constitutionis, quam sacramentali confessione non secuta, ut sonant haec verba *vel praetextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa sacramentali confessione non secuta.* Non sic dicendum si esset clericus, vel laicus, quia constitutio loquitur solum de Sacerdotibus. In tali hypothesi esset laicus denuntiandus tamquam suspectus de haeresi ex aliis pontificiis constitutionibus, et signanter Gregorii XIII incip. *Officii nostri partes*, praesertim si simul audivisset confessionem et absolutionem dedisset.

Dico 3. Per personas sollicitatas intelligi hic foeminas, mares, puellas, et pueros, uti indicant verba constitutionis Gregorianae: *Qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda.* Hinc tam mares, quam foeminae etiam moniales et mulieres nobiles sollicitatae a confessariis ad turpia tenentur ipsos denuntiare.

Dico 4. Confessarium, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, provocat, et allicit, tamquam vere sollicitantem esse denuntiandum, ut patet ex propositione damnata ab Alexandro VII die 7 septemb. 1665 ibi — Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus —

Dico 5. quod vere sollicitat, et est denuntiandus Confessarius, qui in actu confessionis vel immediate ante, vel immediate post dicit poenitenti: *Si ego essem saecularis, vellem te solam ducere in uxorem:* vel si dicat. *Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo.* Vel *permitte me, ut in domum tuam veniam, et amorem meum tibi ostendam.* Vel pulchritudinem ipsius lascivis verbis commendat et laudat, et huiusmodi, ut censent plures doctores contra paucos alios, et ratio est, quia similia verba sine aliqua occasione in confessione, seu immediate ante, vel post, dicta, sunt impertinentia ad confessionem, et vehementer provocantia, et incitativa ad venerem.

Dico 6. quod vere sollicitat, et est denuntiandus Confessarius, qui signis, nutibus, osculis, vel tactibus lascivis poenitentem incitat, seu provocat, vel allicit ad actus venereos, ut si eam osculatur, vel fixis aspectibus lascivis, aut signis vere libidinosis ei suum impurum amorem studeat aperire, vel ipsius tangat pedes, seu manus libidinose premat,

et huiusmodi, ut eruitur ex verbis expressis Gregorianae Constitutionis ibi: *Ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda:* Similia enim sunt omnia provocantia, incitativa, seu allectativa ad venerem.

Dico 7. Confessarium, qui tempore actualis sacramentalis confessionis aliquo ex supradictis obscaenis modis poenitentem ad veneres, et inhonesta allicit, seu incitat, vere solicitat, et esse denuntiandum, per ipsa clara verba dictae constitutionis *in actu sacramentalis confessionis.* Et talis Confessarius est denuntiandus, etiamsi non pro se, sed pro alio, seu nomine alterius solicitat, ut clare habetur ex dicta Constitutione Gregoriana *Qui personas, quaecumque illae sunt, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda* et infra: *Aut cum illis illicitos, et inhonestos sermones, aut tractatus habuerint.*

Dico 8. quod Confessarius, qui foeminam poenitentem ante inceptam confessionem, et dilata in aliud tempus confessione oculis, seu verbis, aut tactibus obscaenis solicitat est tamquam vere solicitans denuntiandus: ipse enim solicitavit poenitentem *immediate ante confessionem,* ut loquitur constitutio, et licet non sit secuta confessio, adhuc Pontifex praecipit eum denuntiandum, ibi: *Etiam ipsa sacramentali confessione non secuta.*

Dico 9. denuntiandum esse Confessarium, qui immediate post confessionem, et datam absolutionem tradidit poenitenti chartam postea legendam, quae continet verba incitantia et provocantia ad venerem. Et ratio est, quia quantum pertinet ad Confessarium, tunc *immediate post confessionem,* ut loquitur Bulla, incipit solicitatio.

Idem dicendum, si Confessarium, qui post auditam confessionem adolescentis, quem novit fuisse pluries sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum, et ipsum ad turpia solicitat, et ratio est, quia de tali Confessario verificatur, ut praetendit Bulla, quod solicitaverit *immediate post confessionem,* quum huiusmodi solicitatio sit actio continuata per signum externum per se ordinatum ad inhonesta datum immediate post confessionem.

Dico 10. quod Confessarius denuntiandus est, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam eius confessionem domi sequenti die, illuc profectus, eam postposita confessione solicitavit. Ratio est, quia ipse vere solicitavit *occasione confessionis,* ut vult Bulla, quum occasionem solicitandi acceperit a confessione petita a persona vere confiteri volente.

Idem dicendum, si Confessarius hodie mulierem pro sequenti die ad confessionem invitat, et ipsam, antequam accedat ad confessionarium, praevenit et sollicitat, tunc denuntiandus est. Ratio est, quia in tali Confessario verificatur quod dicit Bulla, nempe quod sollicitat *praetextu confessionis*. Verbum illud *praetextu* idem significat quod sub velamine, vel colore alicuius rei, quae non est, seu falsa est, vel iam desiit esse.

Dico 11 denuntiandum esse Confessarium in confessionario sedentem si mulierem ad se accedentem non ut confiteatur, sed alicuius negotii causa Confessarius ipsam sollicitat. Ratio est, quia Gregoriana Constitutio inquit: *Sive extra occasionem confessionis in confessionario*

Dico 12. denuntiandum esse Confessarium, qui in loco, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electus, simulans ibidem confessionem audire, mulierem ad inhonesta et venerea sollicitat; ut patet ex verbis expressis Gregorianae Constitutionis. *Aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem confessionem audire, sollicitare, vel provocare tentaverint.*

Dico 13 Teneri poenitentes sub mortali denuntiare Confessarium sui sollicitatorem ordinariis locorum: et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali confessarii monere eos, qui cognoverint eos ab aliis fuisse sollicitatos: agitur enim de re gravi, et execrabili, ac nefando abusu sacramenti, et id sub positivo, et gravi praecepto expresse mandatur a Pontifice in dicta constitutione § 7 ibi: *Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes inquisitoribus, seu locorum ordinariis*

Non solum tenentur poenitentes sollicitati denuntiare Confessarium sollicitantem, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt sollicitationem, quatenus nempe qui propriis oculis vidit, aut propriis auribus eam audivit, seu ex proprio ore Confessarii sollicitantis, aut poenitentis sollicitati, qui sit fide dignus, et bonae famae, immediatam audivit, et bene intellexit

Quod si tales non bene recordentur verborum, vel non recordentur a quibus audierint, vel audierint a personis levibus, et non fide dignis non tenentur ad denuntiandum, quia in dubio sollicitationis non est onus denuntiandi, quum in dubiis ex una parte quisque suam possideat libertatem, et melior sit conditio possidentis et ex alia parte favendum sit

reo arg cap sunt de regulis iuris in 6. Tum quia dubia in meliorem et benigniorem partem sunt interpretanda *leg Ea quae* 192 § *de regul iuris.*

Dico 15. Confessarium solicitantem non teneri denuntiare se ipsum, nec monere poenitentem ut ipsum denuntiet, ut claro patet ex verbis Gregorianae Constitutionis *Ut suos poenitentes, quos noverint, fuisse ab aliis solicitatos etc.* Unde Bulla dicit *ab aliis,* non autem a se ipso solicitatos

Dico 16. quod nec pater, nec mater, nec frater, nec soror tenentur ipsum Confessarium denuntiare l. quarta §. 4 ff. de testibus relat. in cap. si testes 3 caus. 4 quaest. 2.

Dico 17. Nec denuntiare tenetur poenitens, si exinde prudenter, et probabiliter timeat grave, et ingens malum sibi, aut suis coniunctissimis nempe patri, matri, marito, filiis, aut fratribus: praecepta enim humana non obligant cum tam gravi sui, suorumque coniunctissimorum nocumento.

DE TEMPORE FACIENDÆ DENUNTIATIONIS

Tempus assignatum pro denuntiatione facienda licet directe oriatur ex lege pontificia, executive tamen pendet ex edictis inquisitorum, qui sub poena excommunicationis compellunt intra determinatum tempus ad executionem, et observantiam talis normis. Suprema Inquisitio generalis moderavit edictum emanatum die 5 ianuarii 1625, in quo assignabantur dies 12 et ex posteriore edicto statuit, denuntiationem faciendam esse intra mensem a die scientiae computandum Termino autem culpabiliter elapso, incurrit poenitens ad id obligatus excommunicationem Papae, vel s. Officii reservatam, e qua non potest absolvi, licet postea denuntiaverit, ut constat ex eodem edicto Supremae Inquisitionis die 5 ianuarii 1625 a simplici Confessario non habente ad id privilegium.

Nec obstat, quod Confessarius sit emendatus, vel iam longum effluxerit tempus a facta solicitatione, quia adhuc urget praeceptum, et obligatio denuntiationis Et ratio est, quia hoc onus denuntiationis non solum inductum est ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili, et nefando crimine perpetrando: qui finis adhuc viget etiam supposita emendatione Confessarii solicitantis, ut patet ex verbis Bullae *vel longum tempus post ipsam solicitationem iam effluxerit;* et adversus hanc legem nulla datur praescriptio, adeoque etc

MONITA

Caveant Confessarii, ne absolvant poenitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantes denuntient inquisitoribus, vel locorum ordinariis, quia tales poenitentes una semel quod sunt absoluti, non curant amplius denuntiare. Exceptis non nullis casibus, quemadmodum foret, si urgeat necessitas communionis, aut aliqua adsit, iusta causa, ob quam prudenter Confessarii iudicent denuntiationem esse differendam, et poenitentes sint timoratae conscentiae, et serio promittant quam primum denuntiare: hisce in casibus possunt Confessarii absolutionem impertiri, secus non.

Caveant quoque Confessarii, ne doceant, poenitentes sollicitatos non teneri ad denuntiandos solicitantes, quia qui haec docent, denuntiandi sunt inquisitoribus, vel locorum ordinariis, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpae; ut loquitur Constit. Gregoriana. *Quod si hoc officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confessarios etc. iidem locorum ordinariis, vel inquisitoribus illos pro modo culpae punire non negligant.*

DE POENIS CONTRA SOLICITANTES

Poenae, quas incurrunt solicitantes ex decreto Bened. XIV non aliae sunt nisi inhabilitas perpetua ad sacrificii celebrationem etiam ante ordinis sententiam declaratoriam, quia est poena privativa, quae incurritur ante hanc sententiam, etiamsi hanc poenam ignoraverint invincibiliter, quia ad incurrendas puras poenas nullo requiritur scientia.

Ex constitutione autem Gregorii XV incurrunt *suspensionem ab executione ordinis, privationem beneficiorum, dignitatum etc.* non *statim*, sed ferendae sententiae Ceterum adversus Confessarios solicitantes proceditur cum depositione testium singularium, dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant ex Constitut Bened XIV *Sacramentum Poenitentiae*

DE FORMIS ADHIBENDIS

PRO DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS IN TRIBUNALI POENITENTIÆ

Quum non nulli reperiantur Confessarii, qui dispensationem petentes a sacra poenitentiaria pro dispensatione ab aliquo impedimento occulto in matrimonio vel contracto, vel contrahendo, ea utuntur consueta forma absolutionis a peccatis dumtaxat absque ulla dispensationis mentione, idcirco formam dispensationis adhibendam post absolutionem a peccatis, et censuris a Confessario deputato mutatis mutandis oculis subiicere abs re non erit, et huiusmodi formam semper adhibendam, si forte contigerit, censent fere omnes, idcirco

FORMÆ DISPENSATIONIS

POST ABSOLUTIONEM A PECCATIS, ET CENSURIS A CONFESSARIO DEPUTATO MUTATIS MUTANDIS ADHIBENDÆ

Pro matrimonio contrahendo

Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente: ut praefato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, et in eo remanere licite possis, et valeas. In nomine Patris etc

Pro legitimatione prolis.

Et insuper, eadem auctoritate apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore, nuntio et declaro. In nomine Patris etc

Ad remanendum in matrimonio contracto

Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam

cum sorore tuae putatae coniugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum praefata coniuge, matrimonium cum illa contrahere, consummare, et in eo remanere licite possis, et valeas, et pariter eadem auctoritate apostolica prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore decerno, et declaro etc

A voto castitatis ad contrahendum matrimonium.

Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tibi votum castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium contrahere, et debitum coniugale reddere, et petere licite possis, et valeas, et in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto In nomine Patris etc.

A voto castitatis ad perseverandum in matrimonio

Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum, et te, non obstante voto castitatis, quod emisisti, et transgressus fuisti, in dicto matrimonio remanere, et debitum coniugale reddere posse et debere declaro, et ut idem debitum exigere licite possis, et valeas, tecum eadem auctoritate apostolica dispenso In nomine Patris etc

DE COMMUTATIONE VOTORUM

A quolibet Confessario vota commutante ordinarie loquendo executioni mandanda sunt sequentia. Primo, ut votum perpetuum in perpetuam obligationem, personale in personalem, reale in realem, mixtum in mixtum commutetur Secundo, ut commutetur in id, quod est melius, et utilius ipsi voventi hic, et nunc iuxta prudens arbitrium Confessarii, omnibus circumstantiis expensis Tertio, ut in commutatione semper habeatur ratio finis, ad quem res promissa ordinatur, quia dignitas materiae promissae augetur ex digniori fine, proindeque maiori commutatione indigebit. Quarto, ut pariter habeatur ratio materiae secundum difficultatem implendi votum, considerando scilicet laborem, molestias, expensas itineris in eundo, manendo et redeundo, ut illae praecipiantur dari pauperibus Dixi *ordinarie loquendo*, quia absolute aliter oppositum

hoite observari poterit iuxta propa numeras circumstantias, pro quibus nimis in longum qua par est protraheretur oratio, si omnes speciales regulas hic addocere vellem. nihilominus ex DD gravissimorum doctrina valde tibi proderit sequens praxis.

Primo: votum ieiunii in pane et aqua commuta in eleemosynas, aut in recitationem integri rosarii, aut in confessionem et communionem. Secundo votum eleemosynae redime servitio hospitalis tot diebus, quot sufficere putantur ad eleemosynam compensandam, et e contra redime votum inserviendi hospitali. Tertio: votum assumendi Sacerdotium redimitur quotidiana divini officii recitatione aut B. M. V., aut septem psalmorum cum litaniis, cum sacramentorum frequentia, ac ieiunio sextis feriis, si castitatem servare nolit. Quarto: votum castitatis redimitur castitate coniugali, quotidiana tertiae partis rosarii recitatione, ac communione singulis mensibus, et onere faciendi decem sacra singulis annis celebrare Quinto: votum ingrediendi religionem strictiorem compensatur ingresso religionis mitioris Sexto votum non ineundi matrimonium redimitur confessione singulis mensibus, et ieiunio sextis feriis. Septimo: votum ieiunandi singulis sextis feriis redimitur aliqua eleemosyna semel in hebdomade facienda, addita corona B. M. V. flexis genibus recitanda. Octavo: votum confitendi et communicandi tali die v. g. in Sabbato, muta in actum contritionis, aut amoris Dei, et ieiunium, ac coronam B. M. V.

Hic etiam duo observa Primo, quot virtutes respiciebat votum, seu res promissa, respondeant necesse est tot pia opera Secundo, omnia vota commutanda in frequentiam sacramentorum, quia sunt operibus caeteris meliora ad utilitatem spiritualem vovents. Et haec sententia est gravissimis innixa doctoribus

FINIS

ASTAE
Ex Typographia Garbiglia